

tentationem daemone homo à sua rectitudine impeditus fuerit; & providentia divina sit omnium creaturarum, & precipue rationalium; videtur quod hominem tentari permittere non debuit.

4. Præterea. Quanto aliquid efficitur compendiosius, tanto certius, & melius est: unde & omnium linearum inter duo puncta recta brevissima est. Sed compendiosior fuit via perveniendi in beatitudinem, quod homo non peccaret, quam quod homo post peccatum de peccato erutus in beatitudinem, transferretur. Ergo videtur quod Deus non debuit permittere hominem peccare.

5. Præterea. Minus malum pro majori malo permittendum est. Sed minus malum est diminutio aliqujus laudis quam ipsum peccatum, quia minori bono opponitur. Ergo videtur quod non fuerit ratio sufficiens permissionis divinæ, quæ in littera assignatur, scilicet quod gloriosius est non consentire quam tentari non posse.

Sed contra est. Id ex quo apparet Deus laudabilis, non debet penitus impediri. Sed in peccatis etiam apparet laudabilis Deus, cum per misericordiam parcat, & per justitiam punit. Ergo videtur quod non debuit omnino peccatum impedire.

Præterea. Omne bonum potentius est in sua bonitate, quam malum in sua malitia. Ergo non est conveniens ut aliquod malum taliter impediatur quod per hoc aliquod bonum tollatur. Sed si Deus non permitteret hominem peccare, tolleretur libertas arbitrii, quæ coactionem non patitur. Ergo convenienter permissus est homo peccare.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ad providentiam divinam pertinet ut unumquodque in sua natura relinquatur: quia, ut Dionysius dicit iv. cap. de divin. Nomin. providentia non est corruptiva naturæ, sed salvativa. Cujus ratio est, quia bonum universi excedit bonum particulare cujusque naturæ creatæ, sicut etiam bonum gentis excedit bonum hominis: ut in I. Ethic. cap. i. dicitur. Si autem aliqua natura à suo gradu translata in altiore per providentiam mutetur, quamvis aliquod bonum illi naturæ excresceret, tamen bonitati universi aliquid detraheretur, dum non omnes gradus bonitatis impleti essent illo gradu ex quo natura illa translata erat, vacuo remanente. Dico ergo, quod si peccatum omnino impediretur, per hoc multi gradus bonitatis tollerentur: tolleretur enim natura illa quæ potest peccare, & non peccare, quæ quidem bona est: tolleretur etiam hoc quod est de peccato posse resurgere, & multa hujusmodi; quibus ablatis, bonitati universi multum detraheretur: & ideo ad providentiam divinam pertinet & hominem tentari permittere, & peccare, si veller.

Ad primum ergo dicendum, quod sapiens artifex non tantum considerat quid competat parti ædificii secundum se acceptæ, sed etiam secundum proportionem ad totum ædificium: & ideo sicut unam partem alia meliorem facit; ita etiam Deus unumquodque facit in illa proportione ad finem, secundum quod competit naturæ suæ in ordine ad totum universum.

Ad secundum dicendum, quod nec etiam Angeli de natura sua habent quod peccare non possint; quod aliquorum peccatum monstravit; sed per gratiam confirmationis, quam statim post principium suæ conditionis acceperunt; confirmati sunt ut peccare non possint: ita etiam homo, cum ad terminum viæ

recto tramite pervenerit, eandem confirmationem consequitur. Sed quod Angelo brevior assignata est via quam homini, diversitas naturarum facit, ut supra dictum est. Nec est necesse ut omnibus ordinatis in unum finem assignentur eadem perducentia in finem, & eodem modo; sed unicuique secundum suam conditionem.

Ad tertium dicendum, quod sapientis est removere hoc modo impedimentum quod natura non tollatur: quod non fieret, si hominem, vel Angelum in peccatum cadere non permitteret, quamdiu est in statu viæ.

Ad quartum dicendum, quod non semper via brevior eligenda est, nisi quando per eam omnia quæ ad rem pertinent, convenienter salvantur; & hoc non fieret, si hominem in peccatum non permitteret cadere.

Ad quintum dicendum, quod non tantum per prohibitionem peccati violentam tolleretur laus, sed etiam naturalis ordo rerum, quod nullo modo providentia divina pateretur.

## QUÆSTIO II.

Deinde queritur de cognitione quam homo in primo statu habuit: & circa hoc queruntur tria.

Primo. Utrum Deum per essentiam viderit.

Secundo. Utrum rerum omnium scientiam habuerit.

Tertio. Utrum potuerit falli.

## ARTICULUS I.

Utrum Adam viderit Deum per essentiam.

I. P. quæst. xciv. art. 1. & de ver. quæst. xviii. art. 1.

1. AD primum sic proceditur. Videtur quod Adam Deum per essentiam videbat. Visio enim immediata Dei dicitur visio per essentiam. Sed Adam in primo statu videbat Deum sine medio, ut in principio IV. Libri Magister dicit. Ergo videtur quod videbat Deum per essentiam.

2. Præterea. Augustinus dicit Lib. lxxxiii. Q. quæst. li. quod inter mentem nostram & Deum nihil est medium secundum naturam mentis. Sed omne medium cognoscendi, est medium inter cognoscendum & cognitum. Ergo videtur quod cum in primo statu homo esset in integritate naturæ suæ, Deum immediate, & per essentiam viderit.

3. Præterea. Ut Apostolus I. Corinth. xiiii. 12. dicit, *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Sed Adam in primo statu non videbat in ænigmate, quia nulla obscuritas in eo erat. Ergo videtur quod tunc videbat facie ad faciem.

4. Præterea. Quicumque non habet illud quod desiderat, affligitur. Sed in primo statu non erat aliqua afflictio, quia pena non potuit culpam præcedere. Cum ergo naturaliter visionem divinæ essentiae homo desideraret, videtur quod Deum per essentiam videbat.

5. Præterea. Illud quod est naturaliter ordinatum ad aliquid, non caret eo, nisi per aliquid impediatur; sicut lapis quod sit deorsum. Sed intellectus hominis naturaliter ordinatus erat ad videndum Deum per essentiam. Cum ergo non esset ibi aliquod

## QUÆSTIO II.

impedimentum, quia nec culpa, nec poena, videtur quod Deum per essentiam videbat.

Sed contra est quod dicitur Joan. i. 18. *Deum nemo vidit unquam*: & sicut dicit quædam Glossa Isa. vi. *id est, nullus homo in statu viæ existens.* Sed Adam erat viator, quia peccare poterat. Ergo videtur quod Deum per essentiam non videbat.

Præterea. Ut dicit Augustinus, super Psalm. xc. visio Deitatis per essentiam, est tota merces. Sed constat quod homo in statu innocentie mercedem beatitudinis non habebat. Ergo & Deum per essentiam non vidit.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut in littera dicitur, modus quo Adam Deum cognovit, medius fuit inter cognitionem viæ qua nunc Deum videmus, & cognitionem patriæ qua Sancti eum in gloria videbunt. Unde ad hujusmodi evidentiandum videndum est quod modis Deus possit videri.

Sciendum autem, quod tripliciter videri potest. Uno modo per suam essentiam: alio modo per effectum aliquem ejus, effluentem in intellectum videntis: tertio modo per effectum aliquem extra intellectum videntis, in quo divina similitudo resultat. Hujus autem exemplum in visione corporali inspicere potest. Lux enim non videtur ab oculo per aliquam similitudinem sui in ipso relictam, sed per suam essentiam oculum informans; & huic comparatur primus modus divinæ visionis, qui est per essentiam: & hic quidem modus ex conditione naturæ suæ, nulli naturæ debetur, nisi divinæ, in qua est (1) idem sciens, & scitum. Lapis autem videtur ab oculo corporali per similitudinem suam in ipso oculo relictam; & huic comparatur secundus modus, qui est per effectum relictum in intellectu videntis: & hic quidem modus videndi convenit Angelo secundum conditionem naturæ suæ: quia, ut Lib. de Causis, prop. viii. dicitur, omnis intelligentia scit quod est supra se, per illud quod est causa ei: unde cognoscens ipsum lumen naturæ suæ, quod est similitudo luminis increati, Deum videt. Vultus autem hominis relucens in speculo videtur ab oculo, non quidem per similitudinem ejus immediate in oculo relictam, sed per similitudinem relucentem in speculo, ex quo resultat in pupilla; & huic comparatur illa visio qua Deus videtur per effectum extra intellectum videntis, sive per effectum naturalem, sicut per cognitionem creaturarum naturali cognitione Philosophi in Deum devenerunt; sive per effectum spiritualem, sicut est in visione fidei illius qui adhæret his quæ aliis revelata sunt per influentiam spiritualis luminis: & ideo dicimus nunc in speculo videre, secundum Apostolum. Modus autem iste competit homini secundum conditionem naturæ suæ: quia intellectus noster nec seipsum intelligere potest, nisi per species rerum quas apud se habet: quia per objecta venit in cognitionem actuum, & per actus in cognitionem potentiarum. Ad primum ergo modum visionis, qui soli Deo ex conditione naturæ debetur, elevatur Angelus, & homo per gloriam: unde illa est visio beatorum, quam homo in primo statu non habuit. Ad secundum vero modum, qui est naturalis ipsi Angelo, & supra naturam homi-

In II. Sen. Tom. II.

(1) Al. deest idem.

Ex Edit. P. Nicol. (a) Ut epist. i. quam Cajo monacho inscribit, videre est. (b) Seu hom. xxxiv. in Evang. ubi centum ovium parabolam explicat, & applicat ad institutum præsens. (c) Tract. xvii. & cx.

nis, elevatur homo per gratiam, etiam post statum culpæ; sicut etiam in viris contemplativis patet, qui revelationes divinas merentur; & multo amplius fuit in primo statu per gratiam originalis justitiæ. Tertius autem modus est communiter viatorum, etiam post statum culpæ. Unde patet quod modus quo Adam in primo statu Deum videbat, medius est inter utrumque.

Quidam vero aliter dicentes, errant, ponentes, Deum nunquam per essentiam nec in patria, nec in via videri: quod hæreticum est, & Scripturæ contrarium, ut patet I. Corinth. xiiii. & I. Joan. iiii.

Quidam vero è contrario dicunt, Deum per essentiam in omni statu videri: & his etiam auctoritates sanctorum repugnant: quia Dionysius (a) dicit, quod si aliquis videns Deum scivit quid vidit, non ipsum vidit, sed aliquid eorum quæ sunt ejus: & Gregorius dicit, xviii. Mor. cap. xxviii. quod quantumcumque homo in statu viæ profecerit, ad statum tamen illum contemplationis quo Deus per essentiam videtur, non pertingit.

Ad primum ergo dicendum, quod Adam in primo statu dicitur Deum sine medio vidisse, non quia ipsum per essentiam videret, sed quia non per medium argumentationis ex creaturis sensibilibus procedens, in cognitionem ejus deveniebat, sed mediante effectu spirituali in intellectum ejus resultante, sicut & Angeli in primo statu videbant. Ideo dicitur, quod post peccatum necessaria fuerunt sacramentalia signa, ut ex sensibilibus homini spiritualia panderentur.

Ad secundum dicendum, quod cum dicitur, nihil esse medium inter Deum & mentem nostram, intelligendum est non secundum naturæ dignitatem, quia natura mentis angelicæ supra naturam mentis humanæ est, ut Dionysius expresse dicit iv. cap. cœl. Hier. & Gregorius in hom. de centum ovibus, (b) & Augustinus super Joan. (c) nec etiam per modum informantis privatur medio, quia charitas creata est medium conjungens mentes Deo; sed intelligitur quod ipse immediate eam beatificat, & justificat, sicut & creat.

Ad tertium dicendum, quod ænigma importat obscuritatem quamdam cognitionis, eo quod ænigma est, secundum Donatum, quæstio verborum obscuritate involuta. Obscuritas autem triplex potest accipere alicui intellectui. Prima ex hoc quod ex nihilo est, quia in hoc deficit à claritate intellectus increati; & secundum hoc omnis intellectus creatus ænigmaticus est. Secunda ex hoc quod intellectus intelligit inquirendo, & per continuum, & tempus; & talis obscuritas accidit intellectui humano in comparatione ad intellectum angelicum, qui deiformis est: intellectus vero humanus est ratiocinativus, & acceptivus cognitionis à sensibilibus secundum conditionem suæ naturæ, & secundum utrumque modum etiam in primo statu homo in ænigmate vidisset. Tertia vero obscuritas intellectum consequitur humanum ex peccato, consecuta ex corruptione carnis aggravantis animam, Sap. ix. & sic in ænigmate nunc homo videt, tunc autem non vidisset.

Ad quartum dicendum, quod non facit afflictionem, vel penam carentia cujusque desiderati, sed ejus tantum quod debet haberi, & cum est tempus habendi: & ideo Adam in primo statu etsi Deum

Et

non.

non videret, quod summe desiderabat, non tamen inde affligebatur, quia nondum erat tempus ad illud perveniendi: alias sequeretur quod omne quod intendit venire ad aliquem finem, quem nondum consequitur, poenam haberet.

Ad quintum dicendum, quod aliquem actum potest aliquid impedire dupliciter. Uno modo per modum contrarium, sicut calor violentus impedit aquam ne infrigidetur; & per hunc modum culpa, & poena impediunt visionem Dei: & tale impedimentum homo in primo statu non habebat. Alio modo per modum simplicis negationis, sicut rusticus impeditur ab actu geometricandi ex hoc quod habitum geometriae non habet; & ita etiam Adam ab actu visionis Dei impediatur, quia nondum intellectus erat ad hunc actum per habitum gloriae sublevatus.

## ARTICULUS II.

*Utrum Adam habuit perfectam cognitionem rerum a creatione sua.*

*I. P. quast. xciv. art. 3. & de ver. quast. xviii. art. 3.*

1. AD secundum sic proceditur. Videtur quod Adam non habuit a creatione rerum perfectam cognitionem. Quia, secundum Anselmum, Lib. de concept. Virg. cap. 1. qualis fuit Adam in primo statu, tales etiam filios generasset. Sed supra habitum est, quod pueri non fuissent nati perfecti in scientia secundum unam opinionem, cui Magister magis assentire visus est dist. xx. Ergo nec Adam in scientia perfectus fuisset.

2. Præterea. Augustinus dicit VIII. super Gen. cap. x. quod Adam ideo positus est ad operandum in paradiso ut naturas rerum experiretur. Sed experimentum est principium cognitionis accipiendæ a sensibilibus, & per inventionem. Ergo videtur quod non statim in principio perfectam rerum cognitionem habuisset.

3. Præterea. Secundum Philosophum in III. de Anima, text. v. intellectus nihil est in actu eorum quæ sunt, antequam intelligat. Sed non potest intelligere sine phantasmate, ut ibidem dicitur, sicut nec visus videre sine colore. Cum igitur nihil sit eorum quæ sunt, nisi secundum quod perficitur actu habens speciem alicujus rei in natura existentis, videtur quod cognitionem a sensibilibus accepisset mediante sensu, & imaginatione; & sic non statim fuisset perfectus in scientia.

4. Præterea. Secundum Philosophum, & sicut etiam Magister supra dixit 1. distinctione, anima infusa est corpori, ut in ipso perficiatur scientia, & virtutibus; & ad hoc sunt dati sensus, & membra. Sed hoc frustra esset, si per operationem sensus, intellectus perfectionem non acquireret. Cum igitur nihil sit frustra in naturæ operibus, & præcipue in compositione humani corporis, videtur quod homo a sensibilibus cognitionem rerum accepisset, sicut & nunc, & non statim perfectam scientiam habuisset.

5. Præterea. Ille qui est in scientia perfectus, non est necesse ut alio illuminante perficiatur. Sed Adam in primo statu etiam per Angelos fuisset illuminatus, alias perisset naturalis ordo creaturarum, secundum quem natura angelica inter divinam & humanam ponitur, ab una accipiens & in aliam re-

(1) Nicolai ut tamen.

fundens, ut in 1v. cap. cœl. Hier. dicitur. Ergo non fuisset in scientia perfectus.

Sed contra. Nomina imponuntur rebus ex proprietatibus earum sumpta: quia unaquæque res nominatur ab eo quod in ipsa est nobilius. Sed Adam animalibus nomina imposuit, ut Gen. 11. dicitur: Ergo in principio suæ creationis animalium naturas cognovit, & per consequens aliarum rerum.

Præterea. Quanto aliquid est nobilius, tanto minus decet esse defectum in eo. Sed in corpore Adæ nulla fuit imperfectio in statu innocentia. Ergo multo minus fuit imperfectio in intellectu ejus.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod illam scientiam necesse est homini in primo statu attribui sine qua imperfectus fuisset, & nihil amplius. Tunc autem alicujus scientia imperfecta dicitur, quando non novit aliquid eorum quæ ad ipsum pertinent; & ideo nulla notitia eorum quæ ad hominem pertinebat, in primo statu homini defuisset. Pertinebat autem ad ipsum dispositio sui ipsius in actibus propriis; & ideo dicitur cognitionem perfectam habuisse eorum quæ ab ipso agenda, vel vitanda erant. Similiter etiam ad ipsum pertinebant aliæ creaturæ, in quantum propter ipsum factæ erant, ut vel ab ipsis emolumentum acciperet, vel eis præset, & eas gubernaret; & ideo tantum de unaquaque re cognoscebat, quantum ad usum hominis pertinebat. Nec oportet plus cognitionis sibi adscribere in primo statu. Hanc autem cognitionem aliter Adam habuit, & aliter ad eam ejus posterii pervenissent: quia natura a perfectis exordium sumit, ut Boetius dicit, de Consolat. Phil. Lib. III. pros. x. & Dei perfecta sunt opera, ut Deur. xxxii. 4. dicitur. Ideo Adam, tamquam principium totius humani generis, omnem perfectionem quæ naturæ humanæ competit, in suo primordio accepit, sicut secundum corpus, ita & secundum animam, ut esset, potens ad propagandum alios corporaliter, & instruendum intellectum.

Filii autem ejus, quia cum originali justitia nascebantur, quæ sine prudentia esse non potest, sicut nec aliqua virtus, ut in VI. Ethic. cap. ult. Philosophus dicit; ideo oportuit quod statim nati habitum habuissent cognitionis illius, per quam cognoscere possent quid agere, & quid vitare deberent; quamvis forte usus rationis impediretur secundum unam opinionem, propter organorum indispositionem. Sed habitus cognitionis aliarum rerum non est necesse quod in sua nativitate habuissent, sed per inventionem, & doctrinam, (1) ut tantum simul cum perfectione corporis & perfectione cognitionis compleretur: unde Philosophus in VI. Ethic. ubi supra, dicit, quod prudentia, & habitus ad cognitionem rerum a nobis agendarum pertinentes, sunt nobis magis naturales quam scientia aliarum rerum. Quidam vero dicunt, quod etiam habitus cognitionis omnium rerum mox nati accepissent; sed hoc non videtur necessarium neque quantum ad integritatem naturæ, neque quantum ad originalem justitiam.

Ad primum ergo dicendum, quod, ut supra dictum est, non oportuit ut filii Adæ sibi similes fierent nisi in his quæ ad speciem humanam pertinebant vel ex conditione naturæ, vel ex Dei beneficio. Hoc autem quod Adam in primordio suæ conditionis habitum omnium rerum accepit, non conveniebat sibi

bi in quantum homo, sed in quantum homo humani generis principium: unde non oportet quod aliis convenisset.

Ad secundum dicendum, quod aliquis experitur aliquid dupliciter. Vel (2) ut ex sensibilibus, quorum experientia habitum cognitionis acquirit; sicut in nobis fit, qui ex multis experimentis unum universale colligimus, quod est principium artis, vel scientiæ: & sic Adam experimento non indigebat. Alio modo ut illud quod quis per habitum cognitionis tenet, etiam in rebus videat: hoc enim scienti delectabile est; & sic Adam experimenta de naturis sumpsisset.

Ad tertium dicendum, quod intellectus noster, ut supra dictum est, indiget phantasmate, quod est objectum ejus in duobus, scilicet in accipiendi scientiam secundum motum qui est a rebus ad animam, & in circumponendo illud quod apud se tenet, phantasmatis, (3) sicut quibusdam exemplis, secundum motum qui est ab anima ad res. Dico ergo, quod intellectus Adæ in primo statu non indigebat phantasmate quantum ad primum modum, sed quantum ad secundum: nec oportebat quod illud phantasma esset a sensu acceptum: alias non potuisset intelligere nisi rem quam prius vidisset. Contingit autem per operationem interiorum virtutum formari in imagine aliquod phantasma quod nunquam per sensum est acceptum.

Ad quartum dicendum, quod non propter hoc operationes sensuum in Adam frustra fuissent, si per eas cognitionem rerum ad se pertinentium non accepisset: quia per operationem sensus experitur fuerit exterior quod intellectus interior tenebat per habitum cognitionis innatæ. Et præterea hoc sibi supra conditionem naturæ suæ collatum fuerat ut scientiam non a sensibilibus acciperet: & ideo oportebat ut ea quæ ad naturæ perfectionem secundum sui conditionem conveniunt, ei non subtraherentur; sicut homini resurgenti membra apta ad comestionem non subtrahuntur, quamvis cibus ulterius non utatur.

Ad quintum dicendum, quod Adam non hoc modo fuit in scientia perfectus quod omnia sciret; & ideo in his quæ nesciebat, per Angelos illuminatus fuisset, sicut & inferiores Angeli a superioribus purgantur a nescientia, ut in vi. cœl. Hierar. Dionysius dicit.

## ARTICULUS III.

*Utrum homo in primo statu decipi potuerit.*

*I. P. quast. xciv. a. 4. & de ver. quast. xviii. a. 6.*

1. AD tertium sic proceditur. Videtur quod homo in primo statu decipi potuerit. Quia, sicut Apostolus dicit I. Timoth. iv. mulier seducta est. Adam vero quamvis non fuerit seductus in hoc in quo mulier, tamen in aliquo seductus est, ut veniale crederet quod mortiferum erat, ut in præcedenti dist. dictum est. Ergo in statu innocentia decipi potuit.

2. Præterea. Magister supra dist. xxi. dixit, quod mulier ideo serpentem non horruit, quia quem a Deo creatum scivit, ab eo etiam loquendi usum accepisse credidit. Hoc autem falsum erat, quia loqui non est nisi intelligentis proprie. Videtur igitur quod decipi potuerit.

*In II. Sent. Tom. II.*

(2) Forte omittendum ut. (3) Al. sicut in quibusdam exemplis patet, secundum &c. Ex Edr. P. Nicol. (a) Lib. I. de Sacram. part. vii. cap. xxxi.

3. Præterea. Constat quod Adam in primo statu secreta cordis alterius hominis scire non potuisset, cum nec Angeli hoc sciunt, sed solus Deus. Potuit autem contingere ut aliquis diceret se illud cogitare quod non cogitabat, nec Adam eum mentiri credidisset, cum hoc certitudinaliter non cognovisset. Ergo videtur quod deceptus fuisset.

4. Præterea. Sensus quandoque nuntiant aliquid aliter quam sit, sicut quod a remotiori videtur, minus videtur. Sed de sensibilibus cognitionem per sensus habuisset. Ergo videtur quod ibi quodammodo decipi potuerit, cum decipi nihil aliud sit quam falsum verum aestimare.

Sed contra. Augustinus dicit, de lib. arbitr. Lib. III. cap. xviii. quod falsa pro veris approbare, non est natura hominis instituta, sed poena damna. Cum igitur homo in primo statu omni poena caruisset, videtur quod decipi non potuerit.

Præterea. Deceptio sine ignorantia non est. Ignorantia autem, ut Hugo de Sancto Victore dicit (a) Erud. theol. Lib. I. part. vii. cap. xxxi. est & culpa, & poena. Hoc autem in primo statu esse non potuit. Ergo nec aliqua deceptio.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est, perfectio totius hominis pendebat ex superiori parte mentis, qua homo Deo per rectitudinem justitiæ inhærebat: & ideo illa permanente Deo conjuncta, sicut nec defectus in corpore aliquis, ut passio, & mors, ita nec deceptio in anima esse potuit: unde, sicut supra dictum est, Adam quodammodo potuit mori, scilicet si prius peccaret; erat tamen quodammodo immortalis, quia in actu potentia moriendi non exisset, nisi prius peccasset: ita etiam homo in statu innocentia consideratus poterat quidem decipi, si prius peccasset, non tamen ante peccatum.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut supra dictum est, elatio quædam mentem mulieris invasit post verba serpentis, per quam verum credidit quod serpens suadebat; & ideo seductio illa secuta est elationem, quæ fuit peccatum primum: & similiter est de viro, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod mulier credidit serpentem usum loquendi divinitus accepisse, non quidem per conditionem naturæ, sed per ministerium spiritualis creaturæ: nec contulit utrum hoc fieret virtute boni, vel mali angeli, aut utrum fieret Deo permittente, vel Deo jubente.

Ad tertium dicendum, quod sicut divina providentia corpus hominis servasset illesum ab omnibus exterioribus læsuris, ita etiam servasset intellectum hominis indeceptum in omnibus quæ suam cognitionem impediabant, ut statim intelligeret, si quis falsum pro vero sibi diceret.

Ad quartum dicendum, quod quamvis a sensibus fuisset ei aliquid alio modo representatum quam rei natura haberet, non tamen in eo fuisset illa deceptio, nec quantum ad sensum, qui hoc modo recipiebat secundum proportionem suam ad sensibile, nec quantum ad intellectum, cujus judicio subiacebat illa discretio, quæ inter sensum & rem erat, ut scilicet sciret quare aliter res videretur quam esset.

Et 2

EX

## EXPOSITIO TEXTUS.

**S**ED non esset laudabile homini, si ideo bene viveret, quia nemo male vivere suaderet. Videtur hoc esse falsum: quia tunc, si nec Angelus, nec homo peccasset, actus hominis laudabilis non fuisset, cum tunc nullus esset ad malum persuasor. Et dicendum, quod hoc non est intelligendum ita quod laus humani actus dependeat à suasionem mali, sed à potentia (1) resistendi suadenti; quæ potentia manifestari potuit, si tentatus fuisset, & vicisset. Unde signanter dicit: (2) Si ideo bene vivere posset: quia nemo male vivere suaderet: ut quasi causa bene vivendi ostendatur hoc quod nullus ad malum persuadet.

Et est gloriosius non consentire, quam tentari non posse. Videtur hoc esse falsum: quia cum Deus, & Angelus tentari non possint, aliquid esset in homine gloriosius quam in Deo. Et dicendum, quod hoc intelligendum est supposita conditione humanæ na-

turæ, per quam potest homo peccare, & non peccare. Vel exponatur ut primum.

Hanc autem scientiam homo peccando non perdidit. Videtur falsum: quia nunc non habemus cognitionem omnium rerum, sicut Adam habuit. Et dicendum, quod etiam ista scientia aliquo modo per peccatum diminuta est, sed non adeo quod per hoc homo à via salutis impediatur; & ideo in salutari doctrina de huiusmodi instruendus non erat.

Sed non habuit præscientiam eorum quæ futura erant. Videtur falsum: quia cum nos quorundam futurorum præscientiam habeamus, cognitio ejus fuisset imperfectior quam nostra. Sed dicendum, quod nos non cognoscimus futura, nisi prout quodammodo sunt præsentia in suis causis, quæ sunt determinatæ ad tales effectus, vel de necessitate, vel in majori parte; & sic etiam Adam in primo statu futurorum cognitionem habuit multo plenius quam nos; non tamen eorum quæ causas determinatas non habent sicut ea quæ ex libero arbitrio dependent ut casus suos.

## DISTINCTIO XXIV.

## De gratia hominis, &amp; potentia ante peccatum.

**N**unc diligenter investigari oportet, quam gratiam, vel potentiam habuit homo ante casum, & utrum per eam potuerit stare, vel non. Sciendum est igitur, quod homini in creatione, sicut de Angelis diximus, datum est per gratiam auxilium, & collata est potentia per quam poterat stare, idest non declinare ab eo quod acceperat; sed non poterat proficere intantum ut per gratiam creationis sine alia mereri salutem ab eo quod acceperat; sed non poterat proficere intantum ut per gratiam creationis sine alia mereri salutem ab eo quod acceperat. Poterat quidem per illud auxilium gratiæ creationis resistere malo, sed non perficere bonum. Poterat tamen per illud bene vivere quodammodo, quia poterat vivere sine peccato. Sed non poterat sine alio gratiæ adjutorio spiritualiter vivere, quo vitam mereretur æternam. Unde Augustinus in Enchir. cap. cviii. Sic factus est homo rectus, ut & manere in ea rectitudine posset, non sine divino adjutorio, & suo fieri per se. Utrumlibet horum elegeret, Dei voluntas fieret vel ab illo, vel de illo. Et quia suam maluit facere voluntatem quam Dei, de illo facta est voluntas Dei. Item in eodem Lib. cap. cv. Sic oportebat prius hominem fieri, ut & bene posset velle, & male: nec frustra, si bene; nec impune, si male. Idem quoque in Libro de correctione & gratia ait: Si hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta erat ut sine auxilio posset manere si vellent; non utique sua culpa cecidisset. Defuisset quippe adjutorium, sine quo manere non posset. Idem ibid. cap. xi. Dederat Deus homini bonam voluntatem: in illa quippe eum fecerat rectum. Dederat adjutorium, sine quo non posset in ea manere, si vellent, & per quod posset. Ut autem hoc vellent, in ejus dimisit arbitrio. Idem in eodem (a) Lib. & cap. Acceperat posse, si vellent; sed non habuit (3) velle quod posset: nam si habuisset, perseverasset. His testimoniis evidenter monstratur quod homo rectitudinem, & bonam voluntatem in creatione accepit, atque auxilium quo stare poterat. Alioquin non sua culpa videretur cecidisse.

Qualis fuerit illa rectitudo, & bonitas voluntatis, in qua creatus est.

**S**ED quomodo rectam, & bonam voluntatem habuit homo, si per eam nec mereri vitam valuit, nec in ea stare voluit? Quia nec aliquid mali ea tunc volebat, & ad tempus stare voluit, sed non perseveranter; & ideo recta, & bona fuit tunc voluntas hominis.

(4) Objectio contra illud quod dictum est, hominem non potuisse proficere.

**A**D hoc autem quod diximus, hominem non potuisse proficere, vel mereri per gratiam creationis, solent opponi sic. Per illud auxilium gratiæ creationis potuit stare in bono quod acceperat. Potuit ergo resistere tentationi. Sed resistere tentationibus, atque suggestionibus malis, meritum est, ac bonum remunerabile: omne autem bonum meritum profectus est. Per gratiam igitur creationis proficere potuit, si adfectione alterius gratiæ. Ad quod dicimus, quia resistere malo, & non consentire tentationi, non fecisset illi meritum, etsi non consensisset: quia nihil in eo erat quod ad malum impelleret; sicut Angelis qui non ceciderunt, nec fuit meritum quod steterunt, idest quod non corruerunt. Nobis autem meritum est aliquando,

(1) Al. resistendi; suadendique in potentia &c. (2) Al. Et ideo &c. (3) Al. posse quo vellent. (4) Al. omittebat hic titulus: item al. ad marginem tantum notabatur. Objectio contra prædicta.

Ex Edit. P. Nicol. (a) Hæc apud Augustinum præcedentibus præmittuntur, ut & paullo aliis verbis, & alia serie, sed præsertim quæ ad sequentem appendicem pertinent, & quæ partim ex cap. xi. hic notato, partim ex xii. colligi possunt.

do, si malum non facimus, sed resistimus, ibi dumtaxat ubi causa subest quæ nos facere id movet: quia ex peccati corruptela proni sunt ad lapsum gressus nostri: ubi autem non intervenit causa nos ad malum impellens, non meremur, si ab eo declinamus. Declinare enim à malo semper vitat poenam, sed non semper meretur palmam. (b)

De adjutorio homini in creatione dato, quo stare poterat.

**H**IC considerandum est, quod fuerit illud adjutorium homini datum in creatione, quo poterat manere, si vellent. Illud utique fuit libertas arbitrii ab omni labe, & corruptela immunis, atque voluntatis rectitudo, & omnium naturalium potentiarum animæ sinceritas, atque vivacitas. (5) Liberum vero arbitrium est facultas rationis, & voluntatis, qua bonum eligitur gratia assistente, vel malum eadem desistente: & dicitur liberum quantum ad voluntatem, quæ ad utrumlibet flecti potest; arbitrium vero quantum ad rationem, cujus est facultas, vel potentia illa, cujus etiam est discernere inter bonum & malum: & aliquando quidem discretionem habens boni & mali, quod malum est eligit, aliquando vero quod bonum est; sed quod bonum est, nisi gratia adjuta non eligit, malum vero per se eligit. Est enim in anima rationali voluntas naturalis, qua naturaliter vult bonum, licet tenuiter, & exilliter, nisi gratia juvet; quæ adveniens juvat eam, & erigit, ut efficaciter velit bonum; per se autem potest velle malum efficaciter. Illa igitur rationalis animæ potentia qua bonum, vel malum velle potest, utrumque discernens, liberum arbitrium nuncupatur: quod bruta animalia non habent, quia ratione carent; habent tamen sensum, & appetitum sensualitatis.

Quod bruta animalia non habent liberum arbitrium, sed appetitum sensualitatis.

**E**ST enim sensualitas quædam vis animæ inferior, ex qua est motus qui intenditur in corporis sensus, atque appetitus rerum ad corpus pertinentium. Ratio vero est vis animæ superior, quæ, ut ita dicamus, duas habet partes, vel differentias, superiorem, & inferiorem. Secundum superiorem supernis conspiciendis, vel consulendis intendit; secundum inferiorem ad temporalium dispositionem (6) conspiciit. Quidquid ergo in anima nostra nobis considerantibus occurrit quod non sit commune cum bestiis, ad rationem pertinet; quod autem in ea (7) reperis commune cum bestiis, ad sensualitatem pertinet: & ubi nobis gradatim in consideratione partium animæ progredientibus, primum aliquid occurrit quod non est commune cum bestiis, ibi incipit ratio. Hæc autem Augustinus docet in XII. Libro de Trinit. cap. i. ita dicens. Videamus ubi sit quasi quoddam hominis interioris, exteriorisque confinium. Quidquid enim habemus in animo commune cum pecore, recte dicitur ad exteriorem hominem pertinere. Non enim solum corpus hominis exterior deputabitur; sed adjuncta quadam vita sua, qua compages corporis, & omnes sensus vigent, quibus instructus est ad exteriora sentienda. Et cap. viii. Ascendentibus igitur introrsum quibusdam gradibus considerationis per animæ partes, ubi incipit aliquid occurere quod nobis non sit commune cum bestiis, ibi incipit ratio, ubi homo interior jam possit agnosci. Et cap. i. Rationis autem pars superior æternis rationibus conspiciendis, vel consulendis adhaerescit; portio inferior ad temporalia gubernanda deflectitur: & illa rationis intentio qua contemplamur æterna, sapientiæ deputatur; illa vero qua bene utimur rebus temporalibus, scientiæ deputatur. Et cap. iv. Cum vero disserimus de natura mentis humanæ, de una quadam re disserimus, nec eam in hæc duo quæ commemoravimus, nisi per officia geminamus. Et cap. i. Carnalis autem, vel sensualis animæ motus, qui in corporis sensus intenditur, nobis cum pecoribus communis est, qui seclusus est à ratione sapientiæ; rationi autem scientiæ vicinus est.

Quod talis est ordo peccandi, vel cadendi in nobis, qualis fuit in primis hominibus.

**I**llud quoque præmittendum non est, quod talis nunc in unoquoque homine est ordo tentationis, & progressio, qualis tunc in primis præcessit parentibus: ut enim tunc serpens mulieri malum suasit, ipsaque consensit, deinde viro suo dedit, sicque consummatum est peccatum; ita & nunc in nobis pro serpente est sensualis motus animæ, pro muliere inferior portio rationis, pro viro superior rationis portio: & hic est vir, qui secundum Apostolum dicitur imago, & gloria Dei; & illa est mulier, quæ secundum eundem dicitur gloria viri. Atque inter hunc virum & hanc mulierem est velut quoddam spirituale conjugium naturalisque contractus, quo superior rationis portio quasi vir debet præesse, & dominari; inferior vero quasi mulier debet subesse, & obedire. Ideo vir secundum Apostolum non debet habere velamen, sed mulier. Et sicut in cunctis animalibus non est repertum homini adjutorium simile sibi, sed de illo sumptum quod ei formaretur in conjugium; ita in partibus animæ quas cum pecoribus habemus communes, nullum menti nostræ simile est adjutorium. Unde Augustinus in eodem Lib. XII. de Trinit. cap. vii. Illud nostrum quod in actione temporalium tractandorum ita versatur, ut non sit nobis commune cum pecore, rationale est quidem; sed ex illa rationali mente qua subhæremus intelligibili, & incommutabili veritati, tamquam ductum, & inferioribus tractandis, gubernandisque deputatum est. Sicut enim in omnibus pecoribus non est inventum viro adjutorium simile illi, nisi de illo detractum quod ei in conjugium formaretur; ita menti nostræ, qua supernam consulimus veritatem, nullum est ad usum temporalium rerum, quantum naturæ hominis satis est, simile adjutorium ex animæ partibus quas communes cum pecoribus habemus. Ideoque rationale nostrum non ad unitatis divortium separatum, sed in auxilium societatis quæ, si derivatum (8) in sua disparitur officia. Et sicut una caro est duorum in masculino, & in femina; sic intellectum nostrum, & actionem, sive rationem, & appetitum rationalem, vel si aliquo modo significan-

(5) Nicolai alium instituit paragraphum, titulum hunc præmittendo, De libero arbitrio: quod idem Magistri textus habet. (6) Al. prospicit. (7) Al. repereris. (8) Al. in suo disparitur officio.

Ex Edit. P. Nicol. (b) Usurpatum ex Glossa super illud monitum.